

« Item possessionem Mauritii ypati seu Basilii, magistri militum instar, et de Theodoro ypato.

« Item possessionem, quam tenet in Piatello, cum terris, vineis et olivetis, et plura alia loca.

« In nova Civitate habet fischo publico, ubi commanet, intus et foras civitate amplius quam duos centum colonos; per bonum tempus reddunt oleo amplius quam centum media, vino magis quam amphoras ducentum, alivano seu castaneas sufficienter. Piscationes vero habet, unde illi veniunt per annun amplius quam quinquaginta solidi mancosi absque sua mensa ad satietatem.

« Omnia ista dux ad suam tenet manum, exceptis illis CCCXLIV solidis, sicut supra scriptum est, quod in palatio deberet ambulare.

« De forcia, unde nos interrogastis, quam Ioannes dux nobis fecit, quod scimus, dicimus veritatem.

« I. capitulo. Tulit nostras silvas, unde nostri parentes herbarico et glandatico tollebant. Item tulit nobis casale inferiore, unde parentes nostri, ut super diximus, similiter tollebant. Modo contradixit nobis Ioannes.

« Insuper Sclavos super terras nostras posuit: ipsi arant nostras terras et nostras runcora, segant nostras pradas, pascunt nostra pascua, et de ipsis nostris terris reddunt pensionem Ioanni.

« Insuper non remanent nobis boves, neque caballi. Si aliquid dicimus, interimere nos dicunt. Abstulit nostros cofinos, quos nostri parentes secundum antiquam consuetudinem ordinabant.

« II. cap. Ab antiquo tempore, dum fuimus sub potestate Grecorum inperii, habuerunt parentes nostri consuetudinem habendi actus tribunati, domesticos, seu vicarios, nec non locoservatores, et per ipsas honores ambulabant ad communionem et sedebant in congressu, unusquisque per suum honorem, et, qui volebant meliorem honorem habere de tribuno, ambulabat ad Imperium, quod ordinabat illum ypato. Tunc ille, qui imperialis erat ypatus, in omni loco secundum illum magistrum militum procedebant.

« Modo autem dux noster Joannes constituit nobis